

tiones, & emolumenta quaecumque, cessante tamen illorum reservatione, & concessione præfato Henrico factis hujusmodi usus, & utilitatem convertere, eidemque parochiali Ecclesiæ per unum Presbiterum secularem, vel cujusque ordinis regularem idoneum ad Petri & pro tempore existentis Episcopi seu administratoris præfati nutum toties quoties ei videretur libere ex dictæ parochialis Ecclesiæ fructibus, redditibus, & proventibus, post tamen ipsius Henrici obitum ponendum, & amovendum in divinis laudabiliter deserviri, ac animarum curam exerceri, & alia eidem parochiali Ecclesiæ incumbentia onera supportari, ceteraque in eis necessaria, seu quomodolibet opportuna facere cujusvis Judicis, vel Curia, aut alterius licentia desuper minime requisita eadem auctoritate Apostolica univit, annexuit, & incorporavit, at ex tunc unitam, annexam, & incorporatam, necnon Petrum, & pro tempore existentem Episcopum, seu Administratorem Aquensem hujusmodi salva dicta reservationis concessione ad dicti Henrici vitam, & non ultra duratura ipsius parochialis Ecclesiæ rectoris perpetuo esse, & fore, ac ceteri. Necnon si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsitan erat, eatenus vel in posterum contingeret attentari irritum, & inane decrevit. Non obstantibus priori voluntate sua prædicta, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in certis casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri ac aliis Apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictæ sedis, vel legatorum ejus literas impetrassent, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet esset processum. Quas quidem literas, & processus habitos per eosdem, ac inde secuta quaecumque idem Pius prædecessor ad parochialem Ecclesiam prædictam voluit non extendi, sed nullum per id eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generare, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quoruncumque tenorum existerent, per quæ literis ipsius Pii prædecessoris, si desuper confectæ fuissent non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in eisdem literis mentio specialis proviso, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi in dicta Ecclesia Divinus cultus non minueretur, & animarum cura prædicta nullatenus negligenter, sed ejus congruè supportarentur onera consueta. Ne autem de absolutione, unione, annexione, incorporatione, decreto, & voluntate prædictis, pro eo quod super illis ipsius Pii prædecessoris ejus superveniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, ac Petrus, & pro tempore existens Episcopus, seu administrator præfatus illorum frustretur effectu, volumus, & similiter auctoritate Apostolica præfata decernimus,

quod absolutio, unio, annexio, & incorporatio, decretum, & voluntas prædicta perinde a dicta die VII. idus octobris suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Pii prædecessoris literæ sub ejusdem diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quodque præsentis literæ plene absolutionem, unionem, annexionem, incorporationem, decretum, & voluntatem Pii prædecessoris hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & decreti infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXV. XVI. calendis februarii Pontificatus nostri anno I.

20 *Diploma Maximiliani II. Imperatoris Petro Fauno Costacciaro Episcopo Aquensi.*

MDLXVIII.

405

30 **M**aximilianus secundus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, ac Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Sclavoniæ &c Rex Archidux Austria, Dux Burgundiæ, Brabantia, Stiria, Carintia, Carniola &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Luxemburgi, ac superioris, & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Tekæ, Princeps Sueviæ, Comes Hatspurgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Langravus Alsatia, Marchio S. R. Imperii, Burgoviæ, ac superioris, & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavoniæ &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, & notum facimus tenore presentium universis, ad decus, & augmentum S. R. Imperii, cujus nobis cura a D. O. M. demandata est, nostræque dignitatis, & officii sollicitudinem in primis pertinere arbitramur, ut divorum Principum Romanorum Imperatorum, & Regum vestigiis inherentes, quæ sanctarum Ecclesiarum quietum, & tranquillum statum concernunt, quæque ad conservationem, & tutelam, & patrocinium jurium, & libertatum earundem pertinere dignoscuntur, indefesso studio procuremus, & pie concedamus. Quare cum a nobis submisso petierit venerabilis Petrus Faunus Costacciarus Episcopus Aquensis, Princeps noster, ac devotus, & sincere nobis dilectus ut sibi, & Ecclesiæ suæ Aquensis privilegia per divos Romanorum Imperatores, & Reges prædecessores nostros suis antecessoribus Episcopis, & Ecclesiæ suæ Aquensis concessa, & præsertim infra scripta, nec non omnia, & singula in iisdem privilegiis contenta, sive per ea Episcopo, & Ecclesiæ Aquensi concessa, data, collecta, confirmata, & indulta confirmare, approbare, renovare, & ratificare, ipsumque Episcopum pro se, & dicta sua Ecclesia de eisdem investire de benignitate Imperiali dignaremur. Quorum quidem privilegiorum tenor sequitur in hæc verba (hic continuato sermone referuntur ad litteram diplomata Maximiliani I. an. MDIII. Ludovico Bruno, & Carol. V. Petro Vorstio Aquensibus